

eiusdem Ludowici in eorum presencia exequi non poteris, cites eosdem peremptorie in locis vicinioribus ipsis, quibus presens mandatum exequi convenientius secure poteris, ut in crastino beate Cecilie virginis nunc venturo Colonie coram nobis compareant docturi de iure suo et proposituri omnia et singula, quare dicta unctio et coronatio ipsi domino Friderico non sit merito impendenda, cum intimatione debita et consueta. Reddens litteras sigillatas in signum executionis facte. Datum Bunne in crastino Omnium sanctorum, anno Domini MCCCXIII'.

Acta sunt hec in opido Bunnensi in domo domini Iohannis de Bunna canonici Bunnensis, quam inhabitabat ipse dominus . . Coloniensis archiepiscopus, sub anno, indictione, mense et die suprascriptis, presentibus nobilibus viris dominis Symone de Spanhem, Iohanne de Nassauwe comitibus necnon viris venerabilibus ac discretis dominis Gerardo de Virnenborgh scolastico Coloniensi, Henrico eius fratre preposito Bunnensi, Heydenrico preposito sancti Severini Coloniensis et magistro Enghelberto dicto Franco archidyacono Leodiensis ecclesiarum, testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis.

(S. N.) Et ego Iohannes dictus de Spiere Tornacensis clericus publicus auctoritate apostolica et imperiali notarius, qui premissis publicationi, requisitioni, responsioni et aliis a me et notario subscripto narratis una cum dictis . . testibus presens interfui, hoc instrumentum publicum manu mea conscriptum inde confeci, quod meo consueto signo signavi, vocatus ad hoc specialiter et rogatus.

Et ego Iohannes quondam Gerlaci dictus Certamen clericus Spirensis publicus apostolica auctoritate notarius [quia] predicta duo instrumenta publica in forma superius inserta coram dicto domino Coloniensi archiepiscopo publicavi dictisque responsioni et requisitioni ac aliis a me et predicto Iohanne notario superius narratis una cum dictis testibus [interfui], huic instrumento publico eiusdem notarii manu conscripto suoque signo signato meum requisitus et rogatus ad hoc signum apposui consuetum. (S. N.)

XXXVI. König Ludwig an die Stadt Konstanz über seine Krönung. 1314 Nov. 28¹.

Or. Karlsruhe, Generallandesarchiv, Select

1) Bisher nur im Regest Zeitschr. für d. Gesch. d. Oberrheins N. F. I, 89.